

lio, Rigaltioque optaffes, quodque futuro saltem ejus Editori negligendum non erit, ita non pauca ad perficiendum textum cum a prima, tum a secunda manu mini-

Editio.

*a Deo consecutum est
videntur tibi impune tulisse
contenditis ad eligendos nos
quasi tumultuosum civibus suis
satisfacere
quid facies de tantis millibus
cum viderit illic*

Ad calcem Codicis: *Antonii Seripandi e Testamento Jani Parrhasii, cui gratus Heres in Coenobio supra nominato Monumentum posuit, ut habes in Mabillonii Museo Ital. P. I. p. 111.*

CCLXXIV.

R. 2229 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 270. f. nitidissime perscriptus, fronte et initiorum literis penicillo Italo eleganter depictis et deauratis S. Cypriani Opera complectitur. Folio praevio haec leguntur: *Nos Johannes Episcopus Wratislaviensis donavimus hunc preclarum librum sancti Cypriani martiris monasterio Carthusien. in legnitz 1499. Dein: Ego Lambertus Gruterus Episcopus Neostadiensis in Austria accepi ex Carthusia Olmucensi a R. P. Visitatore anno 1577. die ultimo Junij, quo tempore cum Rodolfo II. obirem terras omnes Bohemici Regni, Seruoque mihi tamquam the-*

frat. Atque ut fides sit adfero, Lessionis varietatem probabilem e breviculo *Libro ad Scapulam Africae Praef. adscribo:*

Codex.

*Redundat: est.
sibi impune tulisse.
ad elidendos nos.
quasi tumultuosus civibus suis
satisfaceret.
quid facies decem millibus.
cum videris illic.*

*saurum. Johannes Roth Rbaetus Wemdinganus e Protonotario Caes. et Decano Passav. et Wratislav. Ecclesiae Episcopus primum Lavantinus in Carinthia 1469. dein Wratislaviensis 1482. obiit 1506. Lambertus Gruterus Venradius Belga Colonia ad Aulam Caes. 1569. evocatus Ecclesiastes facundus a Maximiliano II. cui pergratus fuit, cujusque deinceps morti, ut in Literis ad Vicarium suum Job. Seidelium his verbis: *Plenus in Deum fiducia obiit nobis praesentibus et illi comprecantibus, testatus est, Ratisbonae adfuit, a. 1572. ad Infulas Neostadiensis promotus eas usque ad annum mortis 1582. maxima cum laude gessit extinctus Augustae in Comitatu Caesaris. Carthusia Lignizensis, seu Domus Passionis Christi filia Erfordianae fundata est circa a. 1430. a Duce Ludovico. De Olomucensi dixi alias. Sed jam ad Cyprianum. Praemissa adcurata Tabula, qua etiam prima**

ma et postrema Tractatum verba referuntur, sequitur *Vita* sancti Pugilis ab ejus Diacono *Pontio* scripta, uti etiam in Editionibus praecedere solet; tum Testimonia *Hieronimi*, *Augustini* et *Lactantii*. Non sine mendis haec; denique brevis *Cypriani* Vita hoc initio: *Ciprianus cartbagemensis archiepiscopus martir et doctor precipuus sacrarum et gentilium literarum studijs eruditissimus, scientia quoque et religione insignis &c.* cum enumeratione Operum ad modum *Tribemii*, quam in nulla veterum Editionum vidi. Opera porro bipertita sunt. Initium fit a Tractatibus. Nullus hic deest, nisi *de Mortalitate*, et *de Spectaculis*. E spuriiis adest ille *de duodecim Abusivis Seculi*, et ita quidem, ut fol. 34. intercipiat Librum III. *Testimoniorum adversus Judaeos*, recte fortasse; nam *Cyprianus* ipse in Praef. *ad Quirinum* non nisi duos *Libellos* se complexum ait, et materia tertii penitus abludit a duobus prioribus. Itaque Librarius noster in Elencho singularem illum *Librum* constituit, et inscribit *de Capitulis Mandatorum Dei in scriptura sacra contentis*. Ad sunt praeterea Tractatus *de Judaica Incredulitate ad Vigilium*, et *adversus Judaeos, qui insecuti sunt D. N. J. Christum*, quos omnes habes ad calcem Edit. *Baluzianae Venet.* 1728. f. Pars altera continet *Epistolas* LXXVI. senis igitur pauciores, quam *cit.* Editio. Has inter *Epistola ad Magnum* nobis XVI. fol. 194. Edit. LXXVI. col. 315. in duas divisa est

ita, ut priori parti etiam *Formula: Opto te frater semper bene ualere et nostri meminisse*, adscripta fit; qua de re vide *Notam* 32. Edit. Ceterum *Frater* pro *Fili* Scribae *σφαλμα* est; *Magnus* enim tantum Presbyter fuit. Eodem modo erravit *Epistolam* nobis XV. fol. 191. Edit. LXXIV. col. 293. *Pomponio* inscribendo pro *Pompejo*. *Epistola* nobis XXXII. fol. 213. Edit. LXXIX. col. 333. non est *Cypriani* ad *Lucium*, sed e converso. *Epistola* nobis LXXVIII. fol. 258. Edit. XXVIII. col. 91. errore ridiculo pro *Gajo Didensi presbytero* habet *Gacloidiensi*, item *presbyteris et diaconibus gacloidi consistentibus*, et in ipsa Rubrica *ad clerum et plebem gacloidiensem*. Ego saltem *Oppidum Africae Gaclodum* in Geographis non reperi. *Epistola* nobis LXXIII. fol. 261. Rubricam praefert: *Celerini episcopi ad lucianum episcopum de cura pastorali et de idolatria fugienda*. In Edit. II. col. 25. *Cleri Rom. ad clerum Cartbaginiensem* dicitur. *Epistolas* excipit *Cena* siue *Comivium* falso *Cypriano* adscriptum, *Carmen de Cruce: Est locus ex omni &c.* quod *Vitorini Pietaviensis*, aut *Petabionensis* est, et *Oratio: Domine sancte pater agios &c.* quae omnia in Appendice Edit. *cit.* leguntur. Textus Codicis sic satis correctus est, vixque offert, quod jam non a *Pamelio*, *Fello*, *Baluzio* notatum fuisset.